

De Regno Christi D. in terris consumato.

Auctore incomparabili Viro P. Antonio Vieira.

Auctoris, et Operis intentum.

Operis Auctor est incomparabilis P. Antonius Vieira, Vir heroicâ illimitatâ mentis comprehensione humani intellectus metas longè transcendens. Nam præter hoc, quod admirandi ingenij sui acumine singula quæque anatomizet; quod non visas hæcenus lucēs ubique diffeminet; quod sit in omni minori, et majori facultate veratissimus; quod tenacissimè adeo memorice, ut quidquid in S. Patribus, in Theologis, in Historicis sacris, et prophæis, in Græcis, et Latinis Interpretibus, et in quocunque Scriptore, naturalia, politica, aut moralia tractante, vel semel dixerat legit, semper præ oculis, mente, et manibus habeat; quod in persuadendo efficacissimus; quod in textuum allegatione selectissimus; quod florētissimus in elocutione; quod res verbas, non inani amplificat verboritate. Præter has, inquam, et alias supremæ mentis excellentias dotes, quarum qualibet satis foret formate Heroem omni humano plausu superiorem. Quod ego in hoc Viro nunquam satis miratus sum, est perennis illa ingeniosorum, et novarum reflexionum affluentia; necnon anatomica sacrorum Textuum concilio, quâ verba omnia, et tempora; Historiam omnem, et Figuram; Prophetiam omnem, et Symbolum; vocem omnem, apicem, et comam eviscerat, et exenterat, ut, quod ceteri primæ magnitudinis viri, tanquam exsuccum, et aridum, desperarent; vel ut obscuritatis tenebris involutum non intellexerunt, à P. Vieira Mysteriorum undequaque fetum ostendatur; puteturque nova semper opinati, et quasi non inclusa in sacra Pagina; cum tamen non nisi vetera in ipso sacro Textu latentia, ab alijs vel neglecta, vel non intellecta, opinerent. Hoc verò mirabili adeo Prophetarum, et Prophetiarum consonantiâ præstat, ut dum auditur, et legitur, necesse sit præ stupore obmutescere. Inde est, quod incomparabilis Auctor, sicut infra omnes Interpretes locandus foret, si nova edideret in sacro Textu non contenta; ita supra ceteros elevendus, quod quæ in Scripturæ thesauro latentia erant, Lyncea sua mente effoderit, et publice lucis fecerit. Aurum, et gemmas, quas eduxit, nova non sunt, sed sacro Textui coeva; effatio est nova, quia mentis acumen novum.

Ponderans igitur stupendus Vir, ut de se testatur in Tractatu De Pace Messie Quinquagesimo Tertio, per pertinax triginta annorum studium. En ejus verba: sic ego trigesimo ab hinc anno, cogitate capi, post longam Scripturarum perscrutationem, celsè magno, et pertinaci studio veritatis indagandæ etc. Ponderans, inquam, stupendus Auctor pertinaci triginta annorum studio quidquid Propheta, sive verbis, sive symbolis, sive figuris, de Christi D. Regno propheta-tunt; et advertens plures Prophetias completas, plures non completas; plures ab Interpretibus literaliter expositas; plures ob sui obscuritatem, aut omittas, aut non nisi moraliter, et mysticè interpretatas; nempe de Ecclesiâ triumphante; in hoc totus incubuit, eas omnes literaliter exponere, easque consummando Christi D. in terris Regno, seu militanti Ecclesiæ applicare.

Hæc de causâ Auctor mirabili suo Operi præfixit Titulum: De Regno Christi in terris consumato; qui coincidit cum hoc, Clavis Prophetarum, ut ab alijs vocatur: quatenus plura in Prophetijs adhuc occulta, et nondum completa, ingenij sui luce literaliter exponendo detegit, et ingeniosis ad stuporem rationibus in sacra Pagina fundatis ostendit: quod Prophetia nondum completa sint in Militanti Ecclesiâ, quæ est Christi D. in terris Regnum, ante ejusdem Christi D. ut Judicis, adventum, seu ante finem mundi, complendæ. Decet enim, ut Christi D. in terris Regnum sit ante ejusdem, ut Judicis, adventum undequaque consummatum, seu perfectum. Hoc ut consequatur, nixus Prophetijs nondum completis, eadem literaliter exponens, pronosticat plurima, quæ in Militante Ecclesiâ eventura sunt; et tale Christo D. Regnum in terris format, quale Christo D. venturo, non ut Redemptori, sed ut Judici, convenire potest.

Æquum non est præterire verba à me Auctore allegata; nempe se indefesso viginti annorum spatio hæc Operi texendo incubuisse. Satis si Auctor! Testes oculos appello in quolibet.

in quolibet suo soluto sermone facta stupenda luce semina ubique sevit, suosque Auditores per
tentatas à nullo Concionatore admirationis vias deducit: quae lux, quae studium, quae rationum
emphatica energia, quae armonica consonantia, quae illimitata mentis latitudo, hoc in Opere,
triginta annorum spatio concinnata et digesto, in quo res est, non de completis, sed de complendis
Prophetijs, et quidem literaliter, non verò mysticè expositis, in futuro Ecclesiae Militantis statu,
quae est Christi D. Regnum omni perfectione consummandum: Quae, inquam, lux hoc in Opere,
in quo Auctor futuram Militantis Ecclesiae perfectionem prophetizare conatur, non affulgebit?
Quod tam prospero assequitur eventu, ut vel necesse sit ab hoc Opere legendo abstinere, vel le-
gendo in ejus sententiam demisso capite, pedibus, manibusque ire.

Dividitur hoc stupendum, de Regno Christi in terris consummato, volumen in tres
Libros, ut Auctor ipse initio sui Operis indicat. In primo agit de natura, et qualitatibus Regni
Christi D. In secundo, de ejusdem Regni in terris consummatione, seu ultimâ perfectione. In
tertio de tempore, quo consummandum est, et post consummationem durare debet.

De Physicâ Operis Imperfectione.

Non loquor de morali Operis imperfectione, nam nullam dari paulo post ostendam:
Sed loquor de physicâ Operis imperfectione, et quidem ut sub meâ manu est; nam, an Opus, ut sub
manu alienâ est, sit physicè imperfectum, ignoro: Similiter ignoro, an Auctor Opus hoc imper-
fectum reliquerit? Imperfectum reliquisse testantur mihi aliqui, qui ultimis ante Auctoris obitum,
et primis post ejus obitum mensibus adsisterent.

Loquor igitur de Operis, ut sub meâ manu est, imperfectione physicâ; seu ut illud
ab Emin. S. R. E. Cardinali de Acugna, Generali Regnorum omnium Lusitano Regi subjectorum
Inquisitione meâ fidelitati commissum est. Quod esse summè inordinatum, extremè confusum,
defectuosum, mutilatum, et imperfectum, mihi post vinam totius Operis lectionem certissimum
est.

Etiam enim Quinterniones Primi Libri facile coordinari possunt, eo quia tum Capita,
tum Paragraphi distincto numerorum ordine notantur: reliqua tamen Quinternionum, ad se-
cundum, aut Tertium Librum spectantium, multitudo coordinari nequit. Primum quia Secun-
dus Liber non habet nisi Caput Primum; immo, quod vehementer dolendum, deest Secundus
Quinternio, in quo Auctor suam mentem exponit. Secundo, quia reliqui Quinterniones se
habent, ut scopae dissolutae, quia nullum Capitis Titulum, et numerum habent. Sicut enim
diversi Tractatus sine Capitem divisione, puta de Pace Messiae, de Evangelio ubique præ-
dicando, de Templo Ezechielis, et sacrificijs; qui, et alij Tractatus nullo Capitis, et Paragraphi
Titulo, et numero insigniuntur. Tertio, quia Tertius Liber nequidem Titulum Libri Tertij in
fronte gerit; sed praecise dicit, Caput Primum. Quarto, quia dicti soluti diversi Tractatus,
in Capita non divisi, aequè ad secundum, ac ad tertium; aut e contra, ad tertium aequè, ac
secundum Librum, dici possunt pertinere; eo quia plura, quae continent, sunt utriusque Libro
communia. Quinto, quia plura adsunt incepta, et non absoluta; et aliqua bis rescîpta.
Ex quibus planè constat, Opus hoc, ut mihi traditum est, esse physicè valdè defectuosum,
et inordinatum; immo inordinabile.

Quare ego, ut mirabili huic Opere aliqualem conferrem ordinem, res saltem ma-
ximâ, quâ potui, attentione totum volumen evolvi, et resolvvi, sperans vel ex ipso Auctoris con-
textu, vel ex ejusdem ad à se dicta, aut dicenda, testimonio, vel ex ipsius materiae serie,
aliquem consequi ordinem: At revera tam modica mihi affulsit lux, et tam æquivoca, ut
 tandem desperans me per Capitem divisionem, et per materiae naturam, desideratum assequi
ordinem, sive redigendi Tractatus solutos ad proprium cuiusque Librum, sive quemlibet Librum
ad ordinata per numeros Capita: tandem, inquam, in hoc, post diligens Quinternionum stu-
dium, eorumque inter se collationem, totus incubui. Primum, ut juxta materiae qualitatem,
et

et connexionem, pro meo capite, eos Quinterniones dirigerem. Secundo, ut concisam cuique Tractatus, et Capiti, ubi haec adsunt, Synopsim praemitterem. Tertio, ut indicarem locum, quoties aderit Authoris textus, ad quem Tractatus referri

Hoc saltem aemulenti Lector ex meo labore hauriet: tum quod illic Authoris mentem assecutus sit: tum quod, si armonicam totius Operis molem comprehensus non sit, cum plurima quasi decapitata sint, quia sine capite; saltem conceptus sit, quam supra hominum conditionem Author Operis eleveret, cujus soluta omni ordine lucet, et in unum corporis unius solem non coeant, sed pro Tractatum numero multiplicentur, tot soles habiturus erit, quot Tractatus.

De primâ Morali, seu Theologicâ Operis Imperfectione,
ex Peccato Philosophico sumptâ.

Duplicem Theologicam imperfectionem huic maximo Viro objectam audio: Unam de Peccato Philosophico: Alteram de sacrificijs veteris legis ante mundi finem reditutis. Utramque paucissimis diluere mihi animus est. Primam hoc, alteram sequenti paragrapho.

In Tractatu de Universali Evangelij Prædicatione in secundo Authoris Quinternione Pag. 2. lego in Margine adjecta haec verba: Haec de Peccato Philosophico expuncta jam sunt in alio exemplari, ob Decretum Alexandri Octavi, hujusmodi opinionem damnantis, multo post haec scripta ab Authore.

At bonâ veniâ ejus, qui marginem addidit, dico eum respiter hallucinari, dum ex eo quia P. Vieyra in Barbaris Americanis, vulgò Tapuianis, quorum plerique toto suae vitae decursu invincibili Dei ignorantia laborant, rueret Peccatum purè Philosophicum, infert Authoris opinionem cum damnatâ ab Alexandro Octavo coincidere. En damnata ab Alexandro Octavo anno 1690.

Peccatum Philosophicum, seu morale, est actus disconveniens naturæ rationali, et rectæ rationi: Theologicum verò, et mortale, est transgressio libera Divinae legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque penâ eternâ dignum. Haec damnata.

Si rectè perpendatur, constabit, quod Alexander damnet opinionem tuentem, Peccatum, quantumvis grave contra rationem, commissum ab eo, qui Deum, vel ignorat: | non dicit invincibiliter: vel de Deo nil actu cogitat, non esse Dei offensam, nec amicitiam Dei solvere, nec dignum penâ eternâ. Econtra P. Vieyra asserit, quod peccatum, quantumvis grave contra rationem, commissum ab eo, qui Deum invincibiliter ignorat, non sit Dei offensa. Quantum ergo distat asserens non esse peccatum grave contra Deum, nec Dei amicitiam solvere, nec dignum penâ eternâ, quod fit ex invincibili Dei ignorantia; ab asserente non esse peccatum grave contra Deum, nec solvere ejus amicitiam, nec dignum penâ eternâ, quod fit ex ignorantia vincibili, aut invincibili Dei; tantum distat assertio Patris Vieyrae ab assertione damnatâ.

Similiter quantum distat assertio, quod sit peccatum grave contra Deum, ejusque offensa, et Dei amicitiam solvens, et dignum penâ eternâ, quod fit ab eo, qui actu de Deo non cogitat, quem tamen implicitè, et virtualiter cognoscit in ipsâ ratione naturali, tale opus veritate, ab assertione, quod non sit peccatum contra Deum, si fiat ab eo, qui nunquam Deum cognovit, sed semper invincibiliter ignoravit; tantum distat assertio Patris Vieyrae ab assertione damnatâ: ergo immeritò assertio Patris Vieyrae expuncta fuit à Scriptis Romani missis, quasi incidens cum damnatâ, à quâ longissime distat.

Confirmo peritatem irrefragabili. Immeritò haec propositio: Non peccat contra legem, qui eam invincibiliter ignorans, violat: diceretur haeretica, eo quia haec: Non peccat contra legem, qui eam ignorans violat: est haeretica: ergo immeritò dicitur damnata haec propositio
Authoris

Authoris: Non peccat contra Deum, qui eum invincibiliter ignorat: eò quia est damnata hæc assertio: Non peccat contra Deum, qui eum ignorat: potest enim vincibiliter ignorare.

Accedit, quod totus secundus Authoris Liber, quia assertioni de Peccato Philosophico admisso in eo, qui Deum invincibiliter ignorat, nititur, foret expungendus: ergo vel inconsequenter expungitur assertio, et non totus liber; vel inconsequenter admittitur liber secundus, et non assertio.

Nullus igitur potest esse prudens, scrupulus de coincidentia cum damnata; sed tantum, an assertio Patris Vieyra, quod in pluribus Americanis datur toto vitæ decursu invincibilis ignorantia Dei, sit vera? esse veram solidissime probat; et illo duntaxat hoc negare potest, qui de Americanis loqui vult, ut loquitur de Europæis, quibus Deus verus aliquo semper modo illucescit; vel ut loquitur de Idololatris, quibus quoque Deus aliquo modo in ipso Idolo, quod invocant, quod colunt, cui sacrificant, à quo veniam petunt, innoscit. Cum tamen, si de Tapuanis Americanis, ut in re sunt, loqui velimus, abigenda à Theologis sint omnes illæ species Dei, aut Idoli; et alia sumenda pro Americanorum imponderabili hebetudine. Plerimi enim sunt, qui non tantum Deum verum non cognoscunt, sed omni etiam ficta religione carent, nullum colendo Idolum, nullum invocando, nulli sacrificando, à nullo veniam petendo; quin post ingentem Missionariorum in illis dedolandi laborem, vix crassissime fidei Mystèria intelligunt. Immo plures adeo hebetes sunt, ut non nisi tres numeros numerare possint; et quicquid tres numeros excedit, vocant plura: illa nec sciunt dicere, quot annos habent, quot digitos in manu, quot in pedibus: et ut peccatorum numerum nostris Confessoribus exponant, funiculum trahunt, cui tot nodi inserti, quot peccata, et eum Confessori tradunt.

Præterea Author non tantum invincibilem Dei ignorantiam in pluribus ex his Tapuanis, inter quos diutius vixit, toto eorum vitæ decursu trahit, sed invincibilem totius juris naturæ ignorantiam; nam à tenetis annis filij à Senitoribus erudiuntur ad furta, ad homicidia, ad vindictas, ad esum carnis humanæ, ad obscœna quæque; et tantum abest, quod ob ea corripiantur, quin laudantur, et celebrantur; immo corripiantur, si ea scelera omittant. Quod si quis rationis lumine cognoscatur, ea esse juri naturæ dissona, et ea exequatur, tunc Author asserit, eum Barbaram ob illud delictum contra rationis jus commissum, Deo invincibiliter ignorato, peccare purè philosophicè, illudque delictum non esse pœnâ æternâ puniendum, quatenus non est Dei offensum, cum Deum, nec verum, nec fictum, unquam noverit; nam nec Deum, nec Idolum aliquid colit, invocat, et veniam petit, cum omni religione careat: non ita ullus Europæus, Mahometanus, aut Idololatra, qui aliquam Deitatem venerantur.

Hoc satis purgando Authore à damnatâ ei imputatâ: Nec mihi immortandum est, damnatam loqui de peccato Philosophico commisso ab illis, qui Deum noverunt, et ejus gratiam: quod implicat, ut sit purè Philosophicum; est enim Theologicum, cum in ipso rationis lumine implicite semper in illis, qui Deum aliquando noverunt, resurgat Deus: unde in his repugnat purè Philosophicum, non in Tapuanis, qui nil omnino colunt; atque adeo etiam ex hoc ipso vitælo damnata non trahitur ad rem: sed de hoc infra.

De alterâ Theologicâ Operis Imperfectione.

Ex sacrificijs veteris Legis reductis.

Authoris sententia est: quod in consumatione Ecclesiæ, seu in Testio ejus statu, quando omnes legem Christi D. amplexuri erunt, Legis antiquæ sacrificia reducta sint. Hæc sententia tam malè ab aliquibus auditur, ut ob hoc, mirabile Authoris, de Regno Christi in testis consumato, opus, publicæ lucis indignum judicent.

Ego tamen lecto, et relecto, et quidem non cum animo approbandi, sed potius reprobandi, Tractate de Templo Ezechielis, in quo de sacrificijs reductis copiosè disserit, nil prosum inveni censurâ dignum, si moderatio, et limitatio, cum quâ Author loquitur, pta oculis habeatur,

quin

2.
6.
quoniam omnia summâ admiratione, et laude digna, ut ex latiori meâ ad dictum Tractatum Synopii plenius constabit.

Quod ut invictâ efficacîâ probet Author, cum omnibus Theologis supponit. 1. quod antiquæ legis sacrificia, et sacramenta sublata fuerint. 2. quod ea ob multiplicem finem instituta sint; puta ob Dei cultum, et ut Hebræi ab idololatrando restiterent, et ut fœdera novæ legis sacramenta, et sacrificium æventum Redemptionis, et incrementum Eucharistie præfigurarent; et ut per ea arietum, et vitulorum sacrificia Hebræi erudirentur, suas animi passioner Deo immolare. 3. quod illi fines sint separabiles, ita ut unus possit sine alio existere.

His suppositis Author aperit, quod Deo, vel Ecclesiâ dispensante reditura sint in Ecclesiâ consumatione antiquæ legis sacrificia, non ut præfigurativa sacramentorum, et sacrificij novæ legis, cum hæc jam sint presentia, sed reverto alio fine, vel ut demonstrativa sacrificij, et sacramentorum novæ legis, vel ut moraliter significativa interioris immolationis animæ; ad hoc ut Hebræi, quorum decem Tribus sunt per orbem dispersæ et ignotæ ubi sint, suorum vitium tenacissimi ad Christi D. fidem in Ecclesiâ consumatione facillimè redeant.

Probat hoc tam multiplici S. Scripturæ Textu, tam singulari S. P. P. auctoritate, tam potenti rationum pondere, ut vix negari possit, multo minus censurari; nisi Ecclesiæ nascentis dispensatio censuranda sit. Etenim constat, quod Lex Mosaica abstinendi à sanguine, et suffocatorum esu ab Apostolis in exordio Ecclesiæ sublata, primis trecentis Ecclesiæ annis in plerisque Ecclesiæ Provinciis vigerit, et ex Ecclesiæ dispensatione ea abstinencia permixta fuerit. Constat, quod circumcissionis Lex, Divo Petro, et alijs Apostolis fuerit sublata: simulque constat, quod Divus Paulus, qui ingenti quoque conatu contra necessitatem circumcissionis in favorem Gentium peroravit, Divum Timotheum ex Patre Gentili natum graves ob causas circumciderit. Constat, quod in Ecclesiâ Græcâ, interque Abyssinos, adhuc hodie viget permixtio, post susceptum baptismum, circumcissionis, non ut ad salutem necessaria, sed ut caracter antiquissimæ nobilitatis ab Abrahamo, et Salomone derivata. Si ergo harum ceremoniarum legalium usus ab Apostolis sublatus tanquam non necessarius, in pleribus Provinciis ad fidem conversis vigerit, et modo in Ecclesiâ Græcâ viget: cur in perfectissimâ Ecclesiæ consumatione, quando non solum Gentes, sed et omnes Hebræi, per omnem terram dispersi, Christi D. fidem amplexuri erunt, non poterit Ecclesiâ saltem in Templo Hierosolimitano reedificando eorum sacrificiorum usum permittere? non ut necessaria, nec ut præfigurativa, sed ut moraliter significativa interioris immolationis, per externas immolatas victimas significata; vel ut demonstrativa sacramentorum novæ legis, quæ præfigurant: et quidem ex eo altissimo fine, ut Hebræi ad fidem Christi tunc facilius veniant, et ex illis, et ex Gentibus tam conversis, quam convertendis, fiat unum ovile, et unus Pastor?

Sane Author, præter clarissimam Sacrorum Textuum, et selectissimam S. P. P. expositionem; et præter fundatas in Ecclesiæ dispensatione rationes, tantâ moderatone loquitur, ut ad solum Hierosolimitanum Templum eum rediturorum sacrificiorum usum limite. Cum ergo nec ob Divinorum Textuum defectum; plures enim recitat, qui rediturum hunc usum clarissimè indicant; nec ob S. Patrum contrarietatem; plures enim selectissimos clarissimos Textus ex S. Patribus in sui favorem adducit, et nullum contra se; nec ob rationum penuriam; robustissimas enim nixas Historijs Ecclesiasticis referentibus, quid à Pontificibus circa Hebræorum ritus cum pleribus nationibus dispensatum, prolixè trahit; ignoto quid contra hanc ejus sententiam obijci possit censurâ dignum.

Quod si quis causerit sententiæ novitatem. Contra est 1. quia sententiæ in sacra Scripturâ, et S. P. P. clarè sine ulla violentiâ fundata, negari non possunt nisi ab illis quibus hæc de novo affulgent. 2. si omnis novitas eliminanda, eliminanda erunt omnes antiquissimæ sententiæ

tentia, exceptis primis, quibus ille opponuntur. 3. audiatur S. Antoninus 3. p. Histor. Ti-
tulo 33. §. 2. qui hæc habet de S. Thomâ: Etat in legendo novos articulos adinveniens; novum
quæ modum determinandi inveniens; et novas producent in determinationibus rationes; ut ne-
mo ipsum audiens dubitaret, quin ipsum Deus novi luminis radijs illustrasset. En quot no-
vitates Divus Antoninus trahit ex S. Thomâ! Novos articulos: Novas Determinationes, seu con-
clusiones: Novas rationes: Novi luminis radijs: Novum determinandi modum. Ergo per hoc,
quod Authores astrictum aliquibus videatur novum, non ideo censurandum: Saepe enim evenit,
ut thesauri alibi in sacra Scripturâ, aut S. P. defossi à plerisque prætereantur, quos alter pro-
fundius effodens publica lucis facit.

Liber Primus undequaque Perfectus.
Constat Undecim Quæstionibus in
Duodecim Capita distributis.
Tractat de Christi Domini, et Regis, Potestate.
Synopsis.

In Primo Capite multis probat existentiam Regni Christi D. 1. quia à mundi exor-
ditio fuit præfiguratum. 2. in Psalmis prænuntiatum. 3. à Prophetis vaticinatum. 4. in
novo Testamento declaratum.

In Secundo probat Christum D. ut hominem habere Regnum non solum in Cælo,
sed et in terris. Deinde solvit Christi D. dictum, quod suum Regnum non sit de hoc mundo,
dicens: Christum D. non negare se esse Mundi Regem, sed se non esse Regem de hoc mundo, seu
mundanum Regem, quatenus non ~~non~~ venit cum eâ ostentatione, et majestate quâ munda-
ni Reges.

In Tertio asserit, quod etiam Christi D. Regnum sit tempore posterius quatuor Monar-
chijs, quatenus incepit die, quo natus est: argue adeo ordine successione temporis sit Quin-
tum mundi Imperium; attamen ordine dignitatis est superius omnibus Regibus, et Regnis terra.

In Quarto tenet, quod Christi D. Regnum sit non tantum spirituale, sed et temporale.
Suadet tum ex sacra Scriptura, et Patribus, tum ratione Unionis Hypostaticæ; non quia est
summe absurdum sentire, quod Christus D. non habuerit tantum domini, quantum Adamus.
Dein solvit argumentum ex eo, quod Papa, cum sit Christi D. Vicarius, haberet jus proprietari-
um in omnia bona Regum terrenorum. Solvit, inquam, dicendo, quod sicut Christus D. non
contulit suo Vicario omnem spirituales potestatem, quam ipse habebat; non enim Pontifex
potest sacramenta instituire, nec animas sine sacramento sanctificare: ita multo minus
conferre debuit Pontificibus omnem potestatem temporalem, quam habebat, cum hæc potestas
temporalis valde officeret potestati spirituali. Demum concludit idem Capite Quatum di-
cendo, Regnum Christi D. esse simul spirituale, et temporale.

In Quinto examinat titulos, quos Christus D. sibi comparavit Regnum spirituale,
et temporale. Dicit, quod ratione Unionis Hypostaticæ: Dicit, quod iure hereditatis, tanquam
Dei Filius: Dicit, quod iure Donationis sibi factæ: Dicit, quod titulo Redemptoris, suorumque
meritorum: Dicit, quod titulo Acquisitionis: Dicit, quod tanquam hæres Adami innocentis, non
Adami peccatoris: Dicit, quod titulo electionis, cum ante suam Adventum fuerit à Gentibus elec-
tus, et desideratus ut Rex. Quæ omnia mirabili ingenio extendit.

In Sexto examinat, quando Christi D. Regnum incepit. Et relatâ sententijs eorum,
qui dicunt cepisse die, quo conceptus est, aut die, quo crucifixus est; mirabili discursu resolvit:
Quod Christi D. Regnum, titulo Unionis Hypostaticæ, iure hereditarij Donationis, et quod sit Filius
Adami Innocentis; et Electionis ab omnibus Gentibus desideratæ, incepit die, quo conceptus est.
Titulis.

Tribus vero Redemptionis, Messii, Acquisitionis, et Victoriae, die, quo crucifixus est.

In Septimo examinat: An Christus D. fuerit legitimus, et proprius Iudaeorum Rex? Videtur enim, quod non; eo quia cum Virgo M.^{ma} nullo Reginae jure gauderet, Christus D. quatenus ejus Filius, nullum jus habuit, ut esset Iudaeorum Rex. Respondet acutissime, quod cum Deus promississet tum Regnum Israel Davidi, et ejus familiae; tum Messiam ex Davidis familia oriturum; sequitur, quod cum Virgo M.^{ma} ex familia David descenderit; et ex Virgine M.^{ma} ipse Messias; sequitur, inquit, quod Israeliticum Regnum pertinebat ad Christum D. tum ob naturalem descendantiam ex Davide, tum ob electionem Divinam, qua Regnum Israeliticum promissit Messiae.

In Octavo egregie discutit qualitates Regni Spirituales, et Temporalis Christi D. Resolvit suspendo ingenio Regni Spirituales qualitates consistere in Suprema sacerdotali dignitate, qua non tantum se ipsum pro se ipso, sed etiam se pro nobis Deo obtulit, fundando Spirituale Regnum, et Leges instituendo, et media cultui Divino, et animarum saluti proficua. Addit hanc Spirituales Christi D. potestatem appellari Regalem: ut enim omnis potestas temporalis, omnes potestates temporales excedens, vocatur Regalis; ita, quia Spirituales Christi D. potestas omnes alias spirituales potestates longissime vincit, vocatur Regalis: Nam non solum est potestas orandi, sacrificandi, et sanctificandi populum aliquem; quod totum cuique Sacerdoti convenit; sed est potestas instituendi Spirituales Republicam, Sacramenta, Leges, premia, poenas, premiando, aut puniendo, omne bonum, aut malum, quo infici potest respublica spirituales. Deinde dicit, quod qualitates Regni Temporalis consistant in hoc, quod Christus D. habeat directum, et absolutum Dominium supra omnes Reges, et Regna temporalia, determinando, et tollendo pro suo libito Reges: Et quod Christi D. Dominium solo Dei Dominio inferius sit, ceteris vero omnibus superius est.

In Nono discutit, num Christus D. utramque regiam spirituales, et temporales potestatem in mundo exercuerit? Spirituales exercuisse de fide est, ait; nam sanctificavit Joannem, vocavit Magos, et Pastores, ejecit Demones, seque in sacrificium Patri obtulit. De temporali, inquit, quod, etsi non exercuerit eam eo fastu, quo Reges mundani, quatenus voluit, cum Regia potestate humilitatem desponsare, et docere; eam tamen sine eo fastu exercuerit, utendo jumento, ac si suum foret, exsiccando arbores ficus, eijciendo e Templo negotiatores, et mentas nummulariorum evertendo; quin permittit, et voluit, ut Reges eum adorarent, ut populi eum in Regem clamarent. Addit, quod saepe Christus D. utramque simul potestatem spirituales, et temporales exercuerit, ut constat in casu adulterae, quam absolvendo ostendit spirituales; et poenam lapidationis a Moyse statutam condonando, ostendit temporales potestatem.

In Decimo quaerit, an Christus D. in Caelo exerceat potestatem Regiam Spirituales? Affirmat: nam exercet officium sacerdotale, offerendo se ipsum Patri per manus cujuslibet sacerdotis; etenim per ~~os~~ Sacerdotis dicit, quod offerat suum corpus. Rursus pro nobis rogat, et omnibus Animarum Pastoribus assistit. Quin magno doctrinae apparatu demonstrat, quod Christus D. in Caelo exerceat suam potestatem Spirituales etiam in omnes Infideles, eos illuminando, eos juvando, illis spirituales ministros substituendo; atque adeo supra omnes omnino homines, tam Fideles, quam Infideles, in Caelo regnans, suam potestatem spirituales exercet. Addit eam quoque in Damnatos, ut spirituales Iudicem, exercere. Concludit dicendo, quod Christus D. in Damnatos, tanquam in membra putrida; in Infideles, tanquam in membra infirma; in Peccatores, tanquam in mortificata; in Justos, tanquam in unita, suam spirituales potestatem exercet.

In Undecimo quaerit, an Christus D. in Caelo exerceat potestatem Regis Temporalis? Affirmat, quia eodem modo Christus gubernat mundum, quoad spirituales, et temporalia, quomodo Divinum Verbum; cum hoc tantum discrimine, quod potestas gubernativa Verbi est innata ipsi Verbo; potestas vero gubernativa Christi D. ut hominis, sit potestas participata. Sed Scriptura dicit, quod

quod Pater omne iudicium dedit Filio, non solum quoad dicendam sententiam, sed etiam quoad mundi gubernationem: atque adeo Christus D. in Caelo multat Reges, Republicas, praemiatur, punit; et de eo legitur, Per me Reges regnant. Addit Christum D. è Caelo, nunc per se immediate nunc mediate per Angelos, aut Homines, Regis Temporalis potestatem exercere.

In Duodecimo curiose quaerit, an Christus D. gubernaturus sit visibiliter mundum? Refert opinionem aliquorum opinantium, quod Christus D. visibiliter mille annis gubernaturus sit; quodque duplex Resurrectio futura sit: Et quod in primâ resurgent omnes Iusti, qui bonis temporalibus affluentes regnabunt cum Christo D.. At P. Vieyra optimè negat, eò quia indecentissimum foret, quod Christus D. Caelum desereret, ut bonis temporalibus affluens regnaret in terrâ: Nec, ut bellum Anti-Christo intentet, et eum perimat, necesse, ut ad terras regnaretus, et cum eo militaretus descendat.

Hæc in Primo Libro, qui ad stuporem eruditus, et rationalis est.

Liber Secundus.

De Christi Domini Regni in terris perfectâ consumatione.

Hic secundus Liber est summopere imperfectus: Nam non habet nisi Caput Primum: et deficit ex septem Quinternionibus Secundus. Hinc, an reliqui soluti Tractatus, nullo Capitem numero notati, ad Secundum, an ad Tertium Librum spectent, ex solâ materia connexionem hauriendum est?

Synopsis.

In hac Synopsi mihi procedendum est, non per capita, quia, excepto Capite Primo, reliqua omnia capita desunt: Tractatus enim omnes, etsi suum habeant Titulum, attamen omni capite carent: sed per Quinterniones ejusdem Capitis Primi, ^{et} Secundus desit, incedendum est.

Ante igitur Quinternione Primo, quod, cum explicuerit Libro Primo potestatem, et dominium Christi D. ut Regis, debeat in hoc Libro Secundo exponere. Personam, circa quas Christus D. exerceat in terris hanc suam potestatem. Cum vero sola Ecclesia militans sit spirituale Christi D. in terris Regnum; nam Ecclesia triumphans non est spirituale Christi D. in terris, sed in Caelo, Regnum; huiusque consummatissima perfectio, non in fide, sed in Dei visione; non in spe, quia in ea nil superest sperandum; sed in amore beatifico consistat; consequenter de solâ Ecclesiâ militante, quæ est Christi D. in terris Regnum, sibi sermo erit.

Supposito itaque, quod spirituale Christi D. in terris Regnum sit, non solum Communitas Fidelium, quam vocat Ecclesiam militantem perfectam, formatam, actualem: quatenus fide, spe, et charitate formatam; sed etiam sit Communitas omnium hominum, qui sunt extra Ecclesiam, quam communitatem vocat Ecclesiam militantem informem, potentialem, et imperfectam; quaerit in quo consistat consummatio, et perfectio Regni Christi in terris, seu Ecclesie militantis, sive perfectæ, sive imperfectæ, à Deo in sacrâ Pagina promissa: ut fiat unum ovile, et unus Pastor.

Incredibile est, quantum mirabilis hic Author se ipsum, ut ita dicam, in hoc libro excedat, ut probet suam hanc Conclusionem: Quod tunc Christi D. in terris Regnum erit consummatum, et perfectum, quando omnes, sive Iudæi, sive Infideles, Christi D. fidem amplexuri erunt, et ex veteri, et novâ lege unum conflectur ovile, et Pastor.

De secundo Quinternione nil mihi occurrit dicendum, cum desit: Attamen quantum ex 3. 4. 5. 6. 7. Quinternione colligere potui, Authoris intentum videri esse, allegatis ad litteram, et satis fuscè, plurimis Doctoribus; quin profusâ plurium S. Patrum autoritate; necnon Figuris veteris

3
8
veteris Testamenti, et Textu multiplici Psalmorum, et Prophetarum: quin novi Testamenti Figuris: Auctoris, inquam, intentum est ex citatis Doctoribus, S. Patribus, Figuris, Textibus, evincere: Quod, etsi hodie in terrâ sint plurimi, qui non credunt; et sunt quasi pars infirmis, potencialis, et imperfecta, militantis Ecclesie; attamen omnes omnino convertendi sint, et transaturi ad partem Ecclesie militantis, per fidem, et legem Christi D. formare, et perfectæ: Et in hac omnium omnino hominum ad Christi D. fidem conversione consistere Regni Christi in terris, seu militantis Ecclesie consummatam perfectionem.

Nequeo me detinere in indicandis ingeniosissimis, et à longè petitis, supra sacras Textus, Prophetias, Figuras, reflexionibus, quibus intentum suum ob oculos ponit.

Tractatus de Sanctitate Ulimi status Ecclesie: et an omnes eo tempore futuri sint Iusti, atque adeo salvandi?

Videatur, quod hi Tres Quinterniones ad Librum secundum spectent, ut colligatur ex Tertio Quinternione, De Pace Mexice pag. 1. Verric. sed recolendum, in quo habetur. Sed recolendum memoria est, quidquid toto hoc Libro secundo, de Tertio Ecclesie statu, ejusque dotibus, et præexcellentijs diximus: ergo, cum nulla inter eas eminentior sit, ac sanctitas, præsens Tractatus ad secundum Librum pertinet.

Synopsis.

Continet Tres Quinterniones. In Primo ait, se divisurum hunc Tractatum in tria puncta, nempe: An tunc peccabitur? An omnes erunt Iusti? An omnes salvabuntur?

In Primo Quinternione probat, quod in ultimo Ecclesie statu, seu Regno Christi D. in terris perfectissime consummato nullum erit peccatum. 1. ex Isaia dicente: Non audietur ultra iniquitas in terra: quod cum in nullo præterito Ecclesie statu completum sit, implendum est in Tertio Ecclesie in terris statu. 2. ex Prophetiâ Archangeli Gabriëlis factâ Daniëli; quod finem accipiet peccatum, et quod delebitur iniquitas terre: ergo cum hæc Prophetia non fuerit completa, complenda est in ultimo Ecclesie statu: Et ideo Gabrïel addidit, ut impleatur Prophetia, et ungetur Sanctus Sanctorum: super qua verba Auctor dicit: Ungetur Sanctus Sanctorum tertiâ, et ultimâ unctione, quam ex Typo Davidis semel, bis, et tertiâ uncti; in Regno Christi Cap. 2. huius Libri distinximus.

Confirmat ex Psalmo 95. qui totus est de Conversione Gentium. Commoveatur à facie ejus omnis terra: Dicite in Sionibus, quia Dominus regnavit: Etenim corripit orbem terre, qui non commovebitur. Ecce, ait Auctor, quod Christus D. tunc erit perfectissime regnatus in terris, quando orbis terra ab omni peccato corrigatur. Trahit quoque Textum ex Apocalypsi, quem miro ingenio glossat.

Post hæc querit: quomodo omnia peccata tunc tollentur? Respondet 1. quod omnium Impiorum conversione. 2. omnium Peccatorum, qui converti nolent, anticipatâ morte.

In secundo Quinternione disquirat, num in Regno Christi in terris perfectissime consummato omnes erunt Iusti? Affirmat, quia sublata omni culpâ subintrat gratia. Dein refert Isaia cap. 60. qui post ea verba, Non audietur ultra iniquitas terre, immediate subdit: Populus tuus erunt omnes Iusti: quæ verba, si stemus Isaie Textui, et alijs Prophetijs, applicanda sunt militanti Ecclesie.

Idem intentum prosequitur Auctor in Tertio Quinternione, in quo querit: An omnes tunc salvabuntur? Hoc tamen punctum reliquit imperfectum, etsi ex primo, et secundo Puncto ab Authore definito, evidenter sequatur, quod omnes tunc salvabuntur.

Tractatus de Pace Messiae.

Videtur, quod hi Tres de Pace Messiae Quinterniones pertineant ad Librum secundum, in quo Author tractat de Regno Christi in terris consummato. Colligitur, quia, ut in hoc Tertio Quinternione de Pace Messiae Author pag. 1. versic. Sed recolendum, scribit, legitur: Sed recolendum memoria est quidquid toto hoc Libro Secundo, de Tertio statu Ecclesiae, ejusque dotibus, et praexcellentijs diximus. Ecce 1. ait hoc Libro Secundo: ergo hic Tractatus de Pace Messiae ad secundum Librum spectat. Ecce 2. quod quidquid Author dicit de excellentijs Tertij status Ecclesiae, pertinet quoque ad Librum secundum.

Synopsis.

Tres numerantur Quinterniones: In quorum Primo, antequam decidat, an Prophetia de Messiae statu sint completae, ait; quod, si stemus experientia Bellorum omni saeculo florentium, videatur, quod Prophetiae complere non sint. Et relato Anabaptistarum errore, cui ante eos adhaesit ipse Tertullianus, negantium Bellum licere; qui error contra naturale jus est, quo quilibet se defendere potest; trahit diversas Interpretationes. Prima, quod Prophetiae loquantur de Pace, quae inter Beatos est perfectissima: quam tamen interpretationem rejicit. Altera est, quod loquantur de Pace spirituali, quam quoque refutat. Tertia, quod loquantur de Pace Ezechiae, ejusque tempore Prophetiae completas: quam etiam enervat. Quarta, quod de Pace Augusti, quam debellat: tum quia ea fuit limitata ad solum Imperium Romanum: tum quia minime secuta: Pax autem, quae promittitur est illimitata, et securissima, et promittitur futura post, non ante Messiae adventum, ut fuit Pax Augusti. Quinta, quod post Christi D. adventum pax est longe major, quia bella minora, quam ante erant: quam impugnat, tum quia est valde incertum, an bella fuerint majora ante, quam post Christi D. adventum: tum quia si bellica instrumenta, quibus in Bellis utimur, conferantur cum illis, quibus Antiqui uti sunt, facile conijctur magis sanguinolenta esse Bella moderna, quam ad Christum D. anteriora. Sexta est, quod si Christiani legem Christi D. servarent, major foret inter eos pax. Abijcit illam, quia interpretatio non concordat cum Textibus asserentibus, quod gens contra gentem non sumet gladium, quod auferet bella ab omni terra. Septima est, quod cum Christus D. tulerit legem, quae suadet Pacem, dedit Pacem: confutat illam; quia non promittitur lex pacis, sed pax perfectissima.

Tandem in 2. Quinternione pag. 6. dicit: quod Pax perfectissima, promissa a Prophetis nondum sit completa, sed complenda in ultimo statu Ecclesiae, id est in Regno Christi D. in terris consummato.

Probat ex s. Augustino dicente: Nondum videmus completum Textum, auferens bella usque ad finem terra. Etenim, etsi verum sit, quod adventus Christi D. auxerit pacem, quia inter Christianos Principes federa Pacis juramento firmata magis custodiuntur, quam inter Infideles: et quamvis verum sit, quod plures Infideles ad fidem conversi suos fratres se invicem comedendi, et pugnandi mores abjecerint: attamen Pax universalis totius mundi, et adeo secuta, ut quilibet sine belli timore dormire possit, nondum completa est.

Primo, quia haec Pax, ut ait Isaias, promittitur Praedicationi Evangelicae: ergo, cum Evangelium non sit ubique promulgatum, Pax promissa compleri non potuit. Secundo, quia Regnum Christi D. in terris consummatum non est nisi totus mundus universalis ad fidem conversus, et Christo D. perfectissime patens: ergo, cum Pax promissa huic perfectissime subiectioni, per fidem, et obedientiam totius mundi erga Christum D. adhuc non detur, necdum datur Pax promissa: et tunc tantum haec prophetizata Pax complebitur, quando totus mundus post Christum D. abiterus erit. Adducit in hunc finem Author plures Textus, eosque literaliter miro ingenio exponit.

In Tertio Quinternione solvit hoc argumentum: videri incredibile, ut sola fides hanc perfectam pacem consequi possit. Respondet, quod cum hoc secundo libro ostenderit, quod Fides tertij status Ecclesiae futura sit longe excellentior, sua luce influet amorem pacis vehementem: Insuper quod

quod Spiritus S., ut ait Isaias, Universos filios suos doctos à Domino, et multitudinem pacis, tunc eos docturus erit: Et quia tunc erit cor unum, et anima; et omnes in gratia vitam trahent. Omitto pulchras expositiones, dicens: quod tunc Omnes Reges, quibus inest jus belli, non nisi ad Dei cultum impellentur; atque adeo tunc pax securissima haberi poterit. Addit pag. 3. verit. Quod si, quod tunc omnes Reges uni Supremo Monarchæ subdentur: de quo puncto infra spondet se disputaturum.

In eadem 3. Quintermione movet hanc objectionem. Pax est unum à præcipuis signis adventus Messie: ergo, cum ea nondum sit completa, nondum venit Messias. Ingeniose respondet, quod signa adventus Messie alia sint antecedentia, et hæc ante ejus adventum complenda erant; ex. gr. quod non nisi postquam Sceptrum Suda auferendum sit, venturus est, ut accidit: tunc enim venit, quando Sceptrum Suda ad Herodis manum devolutum fuit: Alia sunt comitantia, ut sunt ejus sanctitas, ejus paupertas, ejus passio, et prædicatio: Alia subsequencia, que non nisi post ejus in Cælum Ascensionem verificanda, et complenda erant; ut sunt Evangelica per totum orbem prædicatio, et pax universalis: et ob hoc dixit David, quod Christus D. postquam ad Patris dexteram sedisset, ad ejus pedes ejus hostes ponendi erant.

Prosequitur, et promovet magnis ingenij lucibus, ostendere Pacem, quam Deus promittit; et ait: quod sicut in Arca Noe, quæ fuit Ecclesie Typus, Leones, et Lupi cum agnis, et ovibus uno pacis fœdere jungebantur: ita in tertio Ecclesie statu, seu in postremâ Regni Christi in terris consumatione homines inter se, legibus, ritibus, moribus oppositi, amicissimâ, et imperturbabili pace fruuntur.

Tandem in hoc ipso Tertio de Pace Messie Quintermione, postquam probavit Prophetias de imperturbabili universali Pace completas nondum esse; argue adeo in tertio Ecclesie statu complendas: Et postquam addidit de se hæc verba: sic ego trigesimo abhinc anno cogitare cepi, post longam Scripturarum perscrutationem, cetero magno, et pertinaci studio veritatis indaganda, Prophetarum Libros sepe, et diu, eorumque Interpretibus diligenter evolutis, nunquam tamen, et nunquam inveniens, ubi per requireret, sicut Columba Noetica, donec tandem iste ramus Oliva mihi affulsit, quem puto, ut cum Paulo loquat, naturalem esse, id est, verum, genuinum, et legitimum sensum illius pacis, quæ à Prophetis promittitur: Post hæc, inquam, trahit rationes, cur hanc interpretationem præ alijs elegerit? Prima est, quia hæc interpretatio est expedita, simplicissima, et literalis. 2. quia integra, nihil tollens de magnitudine rei promissa: Et omisit alijs rationibus ait: quia certa regula interpretandi Prophetas est, ut si facta cum dictis conveniant, de præterito, vel presenti intelligantur; quod si non conveniant, expectentur futura tempora, quibus infallibiliter complebuntur, ut facit, inquit, mea interpretatio.

Tractatus de Universali Evangelij Prædicatione ad ultimum Ecclesie statum, et Regni Christi consumationem præviâ.

Videatur manifestum, quod hic Tractatus, etsi sine ullo Capitulum numero, spectet ad Secundum Librum: Tum quia si hæc Universalis Prædicatio vocatur ab Authore præviâ ad ultimum Ecclesie statum, eo ipso Librum Tertium, præcedere debet: Tum quia, cum in Secundo Libro Regni Christi in terris consumationem consideret, et hanc præstat consistere in conversione totius mundi ad Evangelium; recte hic Tractatus, in quo universalem Evangelij prædicationem ponderat, ad Librum Secundum reducitur.

Non levis tamen se mihi offert scrupulus de Sexto Quintermione; nam Tractatus constat Decem Quintermionibus: An Sextus Quintermio incipiendo à Pag. 8. spectare debeat ad Secundum, an ad Tertium

ad Tertium Librum? Ratio dubitandi est, quia in totius operis exordio Auctor dicit, se in Libro Primo tractatum de existentia Regni Christi D.: In Secundo, de ejusdem Christi Regni in terris consumatione: In Tertio, quando perficietur, et quantum durabit. Hinc dubitari potest, an Sextus Quinternio hujus Tractatus, in quo à Pag. 8. agit de tempore, quo simul, vel quibus temporibus universalis totius mundi conversio ad fidem implenda sit, tribuendus sit Tertio Libro. At ego, relinquendo hoc dubium indecisum, sequar Synopsis coherenter ad Quinterniones eodem in Tractatu unitas: Cum pro utraque parte sit ratio dubitandi, nempe pro Secundo, ac pro Tertio Libro.

Præterea in pluribus ex his Quinternionibus summa physica imperfectio: nam in Octavo proponit hunc Titulum, Satisfit objectionibus; et nullâ adductâ plures paginas alias interserit. Rursus in Quinternione Nono quaerit, quando mundus habiturus sit finem? totumque imperfectum relinquit.

Synopsis.

In hoc Tractatu nullum est Caput, excepto uno, quod omni numero caret. Quare pro majore intelligentiâ, et claritate, juxta seriem Decem Quinternionum, disponam Synopsis.

In Primo, et Secundo Quinternione examinat, an Evangelium in toto mundo prædicatum fuerit? Trahit pro parte affirmativâ Apostolum ad Rom. 1. dicentem: Fides vestra annuntiatur in universo mundo: qui ad Colossens. 1. idem asserit. Pro parte negativâ, cui adheret, adducit plura, et summè curiosâ eruditione discursit per septemdecim Ecclesie secula, citando tempora, quibus varia Gentium Regna Evangelium successivè audire: ergo non fuit tempore Apostolorum in toto mundo publicatum. Hinc Interpretes Divi Pauli Textum de universo mundo explicuere de mundo Romano, alij de mundo tunc cognito.

Post hæc Auctor valde se diffundit in expositione ejus Textus: In omnem terram exivit sonus eorum: et mirè ingenioso mentis acumine dicit, aliud esse exire, aliud pervenire. Concedit, quod Apostolorum vox in omnem terram exiverit; negat, quod ad omnem terram pervenerit: eo modo, quo, inquit, si duæ naves simul ab Ulysiponensi Portu solvant, una Brasiliam versus, alia Soam; verum est dicere ambas à portu solvisse eodem tempore; falsum ambas eodem tempore pervenisse: nam quæ Brasiliam petijt prius pervenit; quæ Soam posterius: Ita Apostolorum vox in omnem terram exivit; non in omnem adhuc pervenit: Quod verò in omni terrâ sit prædicandum, suadet multiplici Scripturae Textu, qui apertè dicunt, quod Evangelium sit in universo mundo prædicandum: ergo, si toti mundo prædicandum est, Apostolorum vox, quamvis pro toto mundo exierit, adhuc ad totum mundum non pervenit.

Tandem Questione Quinta Quinternionis Secundi eodem eminenti ingenio diversos refert modos prædicationis Evangelicæ: Unum vocat Muteum, nempe per ipsas irracionales creaturas; quæ, si considerentur, satis sunt, ut Sentiles Dei Unitatem intelligant; quin et satis foveant, ut Personarum Trinitatem, et Verbi Incarnationem perciperent, nisi ab eorum peccatis, quin et ab eorum Doctoribus, qui veritatem quasi in carcere detinent, juxta illud Apostoli ad Rom. 1. Veritatem Dei in injustitiâ detinent, excæcarentur. Alter Evangelicæ Prædicationis modus, sunt voces, et fama. Hæc exquisitâ eruditione, et miro ingenio laudatissimus Auctor Primo, et Secundo hujus Tractatus Quinternione promovet.

In Tertio Quinternione valdè arduam prolixo conatu examinat Questionem: An qui non credidère Evangelio, quia non audierunt, damnati sint? Cum enim certum sit, tum quod qui Evangelium audierunt, illique passuere, salvati sint; tum quod qui audierunt, et non passuere, damnati sint; determinandum, inquit, est: an qui non passuere, quia non audierunt, damnati in æternum sint?

Fateor, quod in toto mirabili opere nullibi magis ingenium, eruditio sacra, et prophana, et Theologia tanto splendore micat, nisi hallucinor, quam in hoc Tractatu, et in hoc, quod movet arduum dubio.

Defendit Auctor

Tribus solati
opibus dicitur

2. Tempus exultationis

1. Libet ne futuris temporibus ducatur

9. De sententia ultimi datus

6. De Pace Mexic

~~Tempus exultationis~~

5. Vixit cetera homines pro Regno christi uniuersitate peruenit ad longinqua

3. De vniuersali proficiatione

Witauer quos in libro 2^o peroratus die 1^o. Fructus huiusmodi petruum. Vniuersi peruenit Fructus
Tempus exultationis. Tunc Fructus de vniuersi proficiatione. Vniuersi Fructus de vniuersi proficiatione
Quos de vniuersi homines. 6^o. Fructus de Pace Mexic

De Pace Mexic
De vniuersi proficiatione
De vniuersi homines

De Pace

4
10

Defendit Author. Primò: quod in pluribus Barbaris Americanis detur peccatum mortale purè Philosophicum, et nullo modo Theologicum, quatenus videtur præcisè contra rationem naturalem, et nullatenus contra Deum, quatenus invincibili Dei ignorantia laborant. Secundo affirmat in pluribus Barbaris dari quodque invincibilem juris naturalis ignorantiam. Etenim plures, tanquam in opera summè gloriosa, feruntur à primis unguis ad furta, ad murtendos pro esu inimicos, quin et proprios filios, et ad obscena quæque, absque eo quod dedoceantur, quin ob omissionem corripiantur. Utrunque assumptum probat Author auctoritate fidelissimorum Historicorum, qui inter Tapuanos vivere, et illis dedolendis incubere: Quorum hebetudo tam crassa est, ut plures capaces non sint apprehendere nisi tres numeros. Hinc, inquit Author, si Theologi Europei, qui negant omnimodam Dei invincibilem ignorantiam, quin et totius juris naturalis possibilem esse, eos Barbaros prædicarent, à suâ opinione recederent.

Supposito igitur ab Authore in Barbaris illis peccato mortali purè Philosophico, eo quia laborant invincibili Dei ignorantia, examinat, num qui mortale purè Philosophicum committere, aut commisuri sunt, sint penâ eternâ puniendi.

Negat, idque fere prosequitur Quinternione Tertio, et Primâ, et Secundâ. Paginâ Quinternionis Quarta. Probat: quia tota ratio, cur mortali infligatur pena eterna est, quia peccatum est contra Deum infinitum: ergo, cum plures Barbari Deum invincibiliter ignorant, contra Deum non peccant: ergo non merentur puniri penâ eternâ, sed tantum penâ temporali ad Dei libitum.

Quapropter dicit, aliquem dari debere locum, quo, qui peccatum purè Philosophicum committunt, puniendi sunt. Et ne opinionis novitas terreat, quaerit, quo loco puniantur Barbari sine Baptismo cum solo veniali decedens? Non in Purgatorio, quia hic locus est pro illis, qui in gratiâ mortui sunt, et Dei visione fructuri sunt. Non in Inferno, quia hic locus destinatur his, qui decedunt in mortali Theologico actuali. Non in Limbo, quia statutus est pro illis, qui cum solo originali sine peccato veniali moriuntur: ergo sicut decedentibus sine Baptismo cum uno veniali determinandus est proprius locus, quo puniendi erunt penâ sensus: ita quoque decedentibus cum peccato mortali purè Philosophico destinandus erit proprius locus, à Limbo, Purgatorio, Inferno diversus, quo puniendi erunt.

Hæc ego considerans, non satis miror, quomodo aliquis ab hoc Tractatu ausus sit opinionem de peccato purè Philosophico expungere, tanquam damnatam ab Alexandro Octavo. Primò, quia rogo, an hæc duæ Propositiones sint equipollentes: Peccatum Philosophicum quantumvis grave in eo, qui Deum invincibiliter ignorat, non est offensa Dei, nec penâ eternâ dignum: Peccatum Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum ignorat, non est offensa Dei, nec dignum penâ eternâ. Sanè equipollentes non sunt: ergo immeritò ab Authore Tractatus doctrina de Peccato Philosophico in eo, qui Deum invincibiliter ignorat, expuncta fuit.

Adde, quod, si doctrina de Peccato Philosophico expungatur, totus fere hic Tractatus de Universali Evangelij Predicatione, utpote Peccato Philosophico nixus, foret expungendus. Hoc enim in hoc Authore singularissimum, nempe summa inter à se dicta, et à se dicenda, artificiosa coherencia; ita ut posteriora in prioribus assertis fundentur: quæ priora si nutent, nutabunt et posteriora. Nil igitur ab eo detrahi potest sine totius Tractatus jacturâ. Ne ergo, quidquid per plures Quinterniones exquisitâ eruditione, et ingenio secundos, et ornatisimos, nixos Peccato Philosophico, adstruit, destruat, nil detrahendum de Peccato Philosophico.

Similiter addo, quod ex eo, quod in Christianis, immo Idololâtris, negetur peccatum Philosophicum malè inferatur non dari illud in pluribus Barbaris Americanis. Ratio patet, quia in Christianis, et in Idololâtris, non datur invincibilis Dei ignorantia; nam aliquid colunt, et in Idololâtra in colendo errant; adeoque in ipso naturali rationis lumine, aliquid detante, resulget semper, implicite saltem Deus,

saltem Deus, quem colunt: At in Barbaris Americanis, nil prorsus colentibus, in ipsâ ratione naturali non refulget ullus Deus, cum omnem Deum invincibiliter ignorant: ergo peccatum Christianorum, et Idololatriarum contra rationem naturalem non est purè Philosophicum: sed est simul Theologicum: Contra peccatum Barbarorum, nullum Numen colentium, peccatum contra rationem naturalem, est purè Philosophicum: De quibus, et in quibus Autho. peccatum purè Philosophicum trahet.

In Quarto Quinquagesimo quaerit, an Deus omnibus Barbarorum adultis media ad salutem necessaria sufficienter provideat? Affirmat cum S. Thomâ, cui gratiâ concedit, quod exempla ab eo adducta, de Petro misso ad Cornelium, et Paulo misso ad Macedones, probent, quod Deus facienti, quod est in se, mittat Prædicatores. At tamen ostento ea exempla non esse ad rem, inquit: quod ex duplici casu rarissimo non inferatur universaliter, quod Deus facienti, quod in se est, non neget gratiam prædicationis.

Dein suspensum movet dubium, et quaerit: quod medium Americani mille tertenti post Divi Thomæ Apostoli prædicationem annis: [hoc enim temporis spatium elapsum est inter Apostoli prædicationem, et Europeorum in Americam ingressum:] quod, inquam, medium pro consequendâ salute æternâ habuerint? utroque enim medio caruerunt, nempe ingenij acumine, quo possent Deum naturaliter per creaturas cognoscere; et Prædicatores, qui hebetes docerent: ergo omni salutis æternæ medio casuere.

Dicere autem, inquit P. Vieyra, quod Deus cuique adulto dederit sui notitiam, antequam moreretur, ut peccando mortaliter posset eos damnare, est res durissima, et contra Dei pietatem, quod eos rudissimos homines, omni Prædicatore carentes per mille tertentos annos damnarit. Ecce in quas angustias, ait P. Vieyra, se conijciant, qui negant peccatum purè Philosophicum: His enim omnes damnant. Contra admissio peccato Philosophico, et alio loco, præter Cælum, et Infernum, in quo Barbari illi, invincibili Dei ignorantia laborantes, simulque graviter contra rationem peccantes, penas luant per tempus, nil durissimum, nilque contra Dei pietatem dicitur.

Ut ergo hoc dubium, quod juxta Authorem omnem excedit admirationem, solvat, dicit, quod Deus illis Barbaris providit non providendo. Hoc ut probet, supponit, quod in Deo præscientiam absolutam detur conditionata, quâ videt, quid illi Barbari facerent, si illis daret, vel mentem acutam, vel Prædicatores mitteret: Cognoscens autem, quod utroque medio abuterentur, peccando mortaliter Theologicè, et damnarentur pœnæ æternæ; utrumque verò medium negando, non destinarentur ad pœnam æternam, sed duntaxat post eorum obitum ad temporalem; possimus Deus, utrumque medium salvationis negando, providit non providendo illis duplex medium salutis æternæ. Ponderet Lector quod notavi, nempe quod, si expungeretur doctrina de Peccato Philosophico, expungendus erit ferè omnis Tractatus, cum quæ hic in Quarto Quinquagesimo agerentur, nitantur Peccato Philosophico.

Addit duplicem inde; nempe quod Deus providit, non providendo Barbaris, duo salutis media, videlicet ingenij acumen, aut Prædicatores, quo, et quibus Deum cognoscerent; duplicem, inquit, sequi utilitatem. Prima, quod ignorando invincibiliter Deum, nunquam potuerunt peccare mortaliter Theologicè: Altera, quod peccando mortaliter Philosophicè, liberi erunt à pœnâ æternâ.

Confirmat S. ex D. Paulo, et D. Timotheo, qui, ut ait S. Lucas, volentes Dei fidem in Asia prædicare, prohibiti à Spiritu Sancto fuere; quia, ut glossat Beda, sciebat Asiaticos Dei verba contempserunt; quæ non providentia, inquit Autho., fuit benevola providentia Dei: quatenus ignorantibus Deum, Deus eos à pœnâ æternâ sensus liberavit, quam abs dubio incurrissent, si Deum novissent; novisset enim Deus Asiaticos ejus legi recitatos, si Deum, et ejus legem novissent.

Confirmat S. ex Psal. 27. in quo de Aeterno Patre dicitur, quod sit Protector salutarum

tionum

tionum Christi sui: Non dicit salvationis, sed salvationum; quatenus duplex est salvationis modus. Primus perfectus, providendo fidem, et bonos mores, quibus acquiritur gloria eterna: Al-
ter imperfectus, permittendo, ut in inculpabili infidelitate vivant, et cum invincibili Dei ignoran-
tia morientes salvet, seu liberet illos ab aeterna poena sensus. Addit ex Psalm. 35. Homines, et
jumenta salvabis Domine: Homines sunt fideles recte credentes, et agentes, qui per bona opera
salvantur: Jumenta sunt Infideles, jacentes inter homines, et Bruta, qui in sua invincibili Dei
ignorantia viventes salvantur a poena aeterna sensus.

Confirmat 3. ex precepto, quod Christus D. Divo Paulo recenter converso dedit, dicens:
Festina, et exi velociter ex Hierusalem, quoniam non recipient testimonium tuum de me. Ecce
Christus D. providens Iudaeos non converturos praecipit Divo Paulo, ut eos deserat, et relinquat
in sua ignorantia, ut minus mali forent non audiendo Divum Paulum, nec poena aeterna digni.

In eodem Quarto Quinternione Pag. 8. circa finem, ad Paginam 9. exclusive Quinternio-
nis Quinti, examinat media, quibus conversio totius mundi ad Christi D. fidem obtineri potest. 1.
per efficacem praedicationem dandam tam efficaciam Praedicatoribus verba, quibus Infideles resistere
requibunt. 2. per miracula. 3. per inspirationes interiores, sine hominum auxilio: et hoc elo-
quentissime probat, ob mortalem impossibilitatem Praedicatorum adeundi omnes regiones Infideli-
um. Dein progreditur ad declaranda instrumenta, quibus Deus pro conversione totius orbis usu-
tus est. 1. ait, quod excellentius instrumentum erit ipse Christus D. de quo in Psalmo 2. legitur:
Ego autem constitutus sum Rex ab eo... praedicans preceptum ejus. Non dicit, ait Auctor, Rex
praedicator, sed Rex praedicans, quia Christus D. nunquam a praedicando abstinuit. 2. ait, quod
homines sancti: si enim Christus D. per Vitos sanctos suum fundavit Regnum; multo magis
illoi adhibebit, ut illud perficiat. 3. ait, quod favor Principum saecularium: et in hunc finem
trahit D. Gregorium monentem Episcopos, ut amice vivant cum saeculi Principibus. Ut enim,
inquit Auctor, Animae ab Episcopis gubernatae, non sunt a corpore separatae, sed ei unite; ita
inter Principes saeculares, et Ecclesiasticos necessaria est haec unio, et ob hoc Deus in veteri Testa-
mento divisit inter duos fratres, nempe Moysen, et Aaron, potestatem saecularem, et sacerdotia-
lem, ut intelligeremus, debere inter se fraternitatis amore uniti. Allegat quoque plures Historias
hunc in finem, et Isaia Cap. 49. qui loquens de Ecclesia, ait: Erent Reges nutritij tui, et Re-
gine nutritia tua.

In Quinto Quinternione quaerit, num ante finem mundi omnes erunt Christiani?
et impugnato Patre Suarez docente, quod etiam Ecclesia per totum orbem dilatanda sit, negat ta-
men, quod omnes convertentur: Auctor affirmat omnes omnino futuros Christianos: etenim s.
Scriptura dicit, quod adorabunt eum [seu Christum D.] omnes gentes: adorabunt eum omnes patres,
et familiae gentium; immo dicit, adorabunt singuli. Ita ut sicut in una gente sunt multae patres;
in una patria plures familiae; in una familia plura individua; consequenter venire debet tempus,
quo singuli homines convertentur.

In Sexto Quinternione agit de tempore, quo simul, aut temporibus, quibus divisionem
totius mundi ad fidem conversio perficienda est. Ait omnes Interpretes velle, quod haec totius
mundi ad fidem conversio non nisi, post Anti-Christi occisionem, per Eliam, qui Iudaeos, per Enoch,
qui Gentiles convertet, complenda sit, juxta illud dictum Christi D. [Matth. 9.] Elias, cum venerit,
restituet omnia.

Auctor tamen novam viam inquit, docens, non unam, sed duas totius mundi universales
conversiones futuras: Primam per Apostolorum successores, ante Anti-Christi adventum: se-
cundam per Enoch, et Eliam post Anti-Christi occisionem. Probat 1. quia finis a Christo D. per
Apostolos praetensus fuit totius mundi conversio; ait enim, praedicate omni creaturae: ergo cum
hic finis nondum obtentus sit, complendus aliquando est. 2. quia cum certissimum sit, non quod
ante

ante iudicij diem mundus totus debet ad fidem converti; tum quod ab Anti-Christi morte ad iudicij diem transire non sine, nisi quadraginta quinque dies; improbable est, quod hoc brevissimo spatio per duos homines, Enoch, et Eliam, omnes omnino homines ad Christi D. fidem converti possint: ergo ante Anti-Christi adventum alia universalis totius mundi conversio procedere debet. 3. quia si ante adventum Anti-Christi mundus totus non est Christianus, Anti-Christus non foret Anti-Christus, quia Anti-Christus est, qui Christianis opponitur: ergo ante Anti-Christi adventum, mundus totus esse debet Christianus.

Confirmat ex relato Christi D. dicto, qui non dicit, Elias, cum venerit, convertere omnia, sed restituet omnia; id est eos, qui ab Anti-Christi tormenta, et fraudes à Christi D. fide receperunt, restituet ad fidem Christi D.: ergo si eos restituet ad fidem Christi, erant ante Christiani.

Subdit Quinternione septimo plures differentias hanc universalium ad fidem conversionum. Præcipue sunt, quod conversio Anti-Christi adventum præcedens fiet ab Apostolorum Successoribus sine mutatione habitus; quod pro fine habebit convertere omnes, qui sive ex malitia, sive ex errore invincibili Christi D. fidem amplexi non sunt: quod hæc antecedens Anti-Christi adventum conversio incepit post Christi D. Nativitatem: Contra subsequens ad Anti-Christi occisionem universalis conversio incepit ab Enoch in lege Naturæ; et ab Eliâ in lege Scriptæ; et iterum incipiet ab illis, et solis quadraginta quinque diebus durabit: quod hujus conversionis finis sit ad fidem reducere eos tantum, qui ob fraudes, et tormenta Anti-Christi à fide Christi D. apostaturunt; quod Enoch, et Eliâ sacris induti prædicaturi sint.

Post hæc examinat, an hoc tantum tempore complebitur oraculum Christi D. Fiet unus ovile, et unus Pastor? Affirmat autem contra fere omnes Interpretes: quia Christus D. dicit, alias oves habeo, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient; et fiet, non dicit, factum est, unum ovile, et unus Pastor. Si autem fiet unum ovile, sequitur, quod hoc Christi D. Oraculum nondum sit completum.

Dein descendens Auctor ad tempus, et ordinem, quo hoc ovile, seu ovium Congregatio, formandum est, ait: quod Hebræi cum Hebræis; Gentiles cum Gentilibus uniendo sint; et ceteræ cum ceteris uniantur.

In Octavo Quinternione iterum probat universalem omnium omnino ad Christi D. fidem conversionem: tum ex Jeremiâ Cap. 31. Omnes cognoscent me, à minimo eorum usque ad maximum: tum ex Isaiâ Cap. 11. Repleta est terra scientia Domini, sicut aque maris operientes; vel ut alij legunt, aque operientes mare, juxta Prophetiam Abacuc, replebitur terra, ut cognoscant gloriam Domini, quasi aque operientes mare. Super quæ verba Auctor ingeniose dicit, quod sicut mare potest terram operire, ita aque possunt operire mare; ita ut scientia Domini tanta sit futura, ut totum mundum inundet, eo modo, quo diluvium inundavit mare. Post quæ notat discrimen inter diluvium Noeticum, et hoc diluvium, cuius figura fuit diluvium Noe. Ut enim diluvium Noe omnem terram inundavit, ita et scientia Domini, cum hoc discrimine, quod illud inundavit terram, ut eam destrueret; hoc, ut eam diluvio Baptismorum vivificet.

Postmodum apponit hanc Titulum, Satisfit objectionibus, et nullam trahit, quin plures intenserit Pagginas nullo atramento vincat.

In Nono Quinternione supponit esse traditionem antiquam ab Adamo derivatam, et inter antiquos certam, quod mundus sex millium annorum spatium excessurus non sit. Dicunt enim, quod sicut mundus sex diebus absolutus est, dies autem peres Deum sunt mille anni, consequenter non duraturus sit nisi sex mille annis: ita ut duo primi millenarij sint Legis Naturalis; duo intermedij millenarij sint Legis Scriptæ; duo postremi millenarij sint Legis Gratiæ: Atamen totum Novum Quinternionem, et tempus, quo mundus finietur, Auctor imperfectum reliquit.

In Decimo

In Decimo examinat, an Homines eo tempore, quo Christi D. in terris Regnum sit
consumatum, sint diuini victuri? Affirmat fundatus in Isaia Prophetia Cap. 65. in qua legitur:
Non erit ibi infans dierum, et senex, qui non impleat dies suos; quoniam puer centum annorum
morietur; et peccator centum annorum maledictus erit. Similiter Isaia dicit: Aedificabunt
domos, et habitabunt; plantabunt vineas, et comedent fructus eorum. Cum ergo, inquit Author,
certum ex omnibus Interpretibus sit, quod dicta verba de lege gratiae intelligenda sint: et cum
certum quoque sit, quod ex quo Christus D. ascendit in Caelum, nemo viderit infantes centum
annorum; visum quidem est, quod tam infantes, quam senes suos non impleverint annos: et
cum ordinatio contingat, ut qui fabricat, non incolat domum à se constructam; nec fructus ar-
borum à se plantatarum comedat: necesse est, ut haec Prophetia aliquando compleatur, quando
Christi D. Regnum erit perfectum: eò magis, quod de Christo D. legitur: Ecce nova facio omnia;
renovando praeteritas aetates.

Perficietur autem ultimà manu Christi D. Regnum, inquit Author, et addit, se probasse,
quando totus mundus Christi D. fidem amplexurus erit, et fiet unum ovile, et unus Pastor.

Addit quoque hoc Regnum omnino perfectum mille annis duraturum; legitur enim: Et
vixerunt, et regnaverunt cum Christo mille annis. Atque in Christi D. Regno ex omni parte consu-
mato, seu quando omnes futuri sint Christiani, vident homines pluribus, etsi inaequalibus, annis;
quia aliqui morientur centum annorum, et erunt ejus aetatis infantes; alij ducentis annis; alij
pluribus saeculis; alij demum, nempe sanctorum vitae homines, vident mille annis, ut cum An-
ni Christo certent, et de eo triumphent.

Haec est decem Quinternionum, quorum plures sunt physicè imperfecti, Synopsis.

De Templo Ezechielis, et ejus Interpretatione Litterali.

Hic Tractatus pertinere videtur ad Librum Secundum: Cum enim tractetur de sacrificijs,
quae ad sanctitatem, atque adeo ad Tertium Ecclesiae statum pertinent; consequenter ad Librum
Secundum, in quo rei est de sanctitate Ecclesiae in sui consumatione, hic Tractatus reducen-
dus est. Agit in hoc Tractatu de Legis Antiquae sacrificijs, et quaerit, an in fine mundi redi-
tura?

Synopsis.

Tractatus praesens Tribus Quinternionibus constat: in quo Author rem valde arduam
aggreditur; quae occasionem dedit [ut à Personâ omni fide majori mihi ab Urbe Romanâ, instante
Emin. D. Cardinali de Acugna, responsum fuit] ne Clavis Prophetiarum in publicam lucem prodi-
ret: eò quia Author docet, Veteris Legis sacrificia reditura in Tertio Ecclesiae statu. At hoc cum
tantâ docet cautellâ, ut qui circumstantias ab Authore additas ponderat, dissentiri non possit:
qui negligit, dissentiri debeat. Ego, ut rem à pluribus laudatam, et à pluribus censuratam,
clare oculis subjiciam, copiosiorum do Synopsim.

In Primo Quinternione ponderat, quam difficillima sit Templi Ezechielis Interpreta-
tio, ut testatur S. Hieronymus, et S. Gregorius, qui difficultate oppressi fateantur se ab eo interpretando
abstinuisse. Refert Author tria mirabilia, quae Ezechiel de hoc Templo narrat: Primum, quod ab
hoc Hierosolimitano Templo egressurae sunt aquae, quae mare mortuum dulcificabunt. Secundum, quod
mare mortuum, in quo nulli sunt pisces, et piscatores, piscibus, et piscatoribus abundabit. Tertium, quod
juxta litora fluminis ab aquis emergentibus formata jacebunt ex utraque parte arbores, quae singulis
mensibus fructus daturae sunt, earumque folijs morbi sanabuntur.

Hic positus

Hic positus dicit Auctor contra omnes, quod haec omnia literaliter intelligi possint, sive hoc naturali fiat virtute, sive Deo supernaturaliter concurrente. Probat 1. quia scitur, quod vi naturali plures fontes, et flumina noviter à terra, et montibus eruperint. 2. quod fontibus diversa sanativa virtus naturaliter insit. 3. quod in America, si vitis singulis mensibus putentur, singulis quoque mensibus uvae germinent. 4. quod folijs, corticibus, et radicibus insit virtus medicinalis: ergo haec omnia sine miraculo fieri possunt.

Quod si, inquit Auctor, hoc sine miraculo fieri posse prorsus aliquis neget; non negabit, quod cum miraculo. Longè enim plus est mel de petra miraculose educum, ut Hebraei satiarentur; mare illis apertum; Jordanem reversum conversum; quam relata ab Ezechiele de Templo: ergo non cogimur à literalis interpretatione recedere.

Difficultas de Sacrificijs, et Ceremonijs Legalibus.

Obicit Auctor, quod, cum constans sententia sit, legem veterem non tantum mortuam, sed mortiferam, seu nunquam iterum suscitandam, sequitur, quod visio Ezechiele de Sacrificijs Legalibus non possit sine fidei periculo literaliter exponi.

Ut solvat, supponit 1. antiquum sacerdotium, et ejus sacrificij antiqui ceremonias esse sublatas. 2. antiqua sacrificia insubstanta fuisse, tum ut Deus coleretur; tum ut Hebraei ab idololatrando retraherentur; tum ut significarent futurum Christi D. in Cruce sacrificium. 3. hos tres fines esse ab invicem separabiles, adeoque unum sine altero existere posse, ut de facto contigit: cessavit enim post Christi D. adventum significatio Messiae venturi; et post Messiae mortem cessavit significatio utriusque sacrificij cruenti, et incruenti, quomodo penes primos Christianos à Judaismo conversos eadem sacrificia legalia materialiter perseveraverint. 4. sacrificia antiqua, ut significativa Mysteriorum Novae Legis, quam praesigebant, non posse iterum reviviscere: continerent enim mendacium, cum significarent venturum Christum D. qui jam venit. 5. ea legalia sacrificia non esse intrinsicè mala. 6. ea sacrificia nec à jure Divino naturali, cum in se mala non sint, nec à Divino positivo, cum Scriptura hoc non vetet, sublata fuisse; sed tantum à jure Ecclesiastico.

At itaque, quod, cum sacrificia legalia non sint intrinsicè mala; nunquam enim fuissent licita, poterunt, vel ex Dei, vel ex Ecclesiae dispensatione, iterum redire.

Primum partem ex Dei dispensatione probat praecipue ex Psalmo 50. in quo tria tempora, et via sacrificiorum genera distinguuntur. Primum est antiquae Synagoga: Secundum Ecclesiae praesentis: Tertium Ecclesiae futurae, quando Synagoga cum Ecclesia, quoad eandem omnino fidem credendam, jungetur. Nam per ea verba, Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meae, indicatur tempus, et Ecclesia praeterita, seu Synagoga, ejusque cruenta sacrificia, à quibus David, Salvatorem Deum invocans, liberari desiderat, tanquam à sacrificijs, quae gratiam non conferebant. Per ea verba, Quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique, holocaustis non delectaberis, indicatur tempus, et Ecclesia praesens, in qua cessaverunt vetera sacrificia Synagoga. Per ea verba, Tunc acceptabis sacrificium iustitiae, oblationes, et holocausta, tunc imponent super altare tuum vitulos, indicatur tempus, et Ecclesia futura, in qua Templum Ierosolimitanum iterum edificandum est, et reditura oblationes, et holocausta, et vituli sacrificabuntur; non ut significativa sacrificij incruenti, seu Eucharistiae ut futurae, cum jam adsit, sed sacrificij Eucharistici, ut praesentis: ergo, inquit, ex Davide, literaliter intellecto, sequitur templum reaedificandum, et sacrificia reditura pro tempore Ecclesiae futurae, in qua Iudaei, et Gentiles credent in Christum D.

Alteram partem, quod Ecclesia dispensare poterit, ut veteris legis sacrificia redeant, probat Auctor, me iudice, efficacissime. Primum, quia omnis Legislator potest in sua lege dispensare: ergo, cum usus ceremoniarum legalium veteris legis non sit à jure Divino, sed tantum ab Ecclesia vetitus, poterit Ecclesia in suo tertio statu permittere, ut redeant. 2. quia certum est Apostolos in primo Ecclesiae exordio dispensasse in lege, quam vulerant, ne Gentiles ad fidem converteri circumciderentur:

rentur: immo, quod valde notandum est, ipse D. Paulus, qui acriter pugnavit, ne Gentiles circumci-
 dentur, justâ de causâ dispensavit cum Divo Timotheo ex Patre Gentili nato, eum circumcidendo.
 Similiter certum est, quod lex à Moysè lata, ut Hebraei à sanguine, et suffocatis abstergerent, sublata
 fuerit ab Apostolis; et tamen ea abstergentia ab esu sanguinis, et suffocatis hodie viget in Ecclesiâ
 Græcâ, quin primis tertentis annis in Ecclesiâ Latinâ viguit pluribus in Provincijs ad fidem con-
 versis. Si ergo primitiva Ecclesia usum legalium ceremoniarum, quem prohibuerat, justissimis
 de causis in diversis Provincijs ad fidem conversis tunc permisit, ut Author selectissimis, et irrefra-
 gabilibus S. Augustini, S. Gregorij, Tertulliani, et Bedæ textibus probat: Cur Ecclesia in tertio suo
 statu non poterit plura ceremonialia permittere, non minus ac Apostoli, primæ Ecclesiæ Parentes,
 Judæis ad fidem conversis permiserunt, ut ab esu sanguinis, et suffocatorum abstergerent.

Dein adducit causas longè graviores, ut Ecclesia in suo tertio statu dispenset, permitten-
 do ceremonias legis antiquæ, quàm quas Ecclesia in suo ortu habuit, ut cum Judæis ad fidem
 conversis dispensaret, permittendo in aliquibus Provincijs eorum usum. Præcipua est innata, et
 pertinax Judæorum erga proprios ritus tenacitas. Si ergo Apostoli ob hanc eorum tenacitatem cum
 duarum tantum Tribuum Judæis in primitivâ Ecclesiâ dispensarunt: [dicit duarum, quia quod ceteræ
 Tribus dispersæ sint, ignoratur:] ut aliquos suos ritus retinerent: longè magis hæc ratio urgebit
 cum Judæis in fine mundi convertendis, ut saltem uno in loco, nempe in Templo Hierosolimitano
 suos ritus exerceant, non ob adipiscendam salutem, ait Beda, sed ob commendandam sacramen-
 torum illorum prophetiam.

Argumentis Patris Suarez opinantis oppositum Author ad oculum satisfacit. 1. osten-
 dendo, quod omnes cause pro legis dispensatione sufficientes, quas trahit P. Suarez, nempe necessitas,
 utilitas, pietas, et alia concurrere possint, ut Ecclesia tunc dispenset cum Judæis tunc converten-
 dis, permittendo suorum rituum in Templo Hierosolimitano usum. 2. adducit memorabile familiare
 exemplum in usibus Mixti Arabici in Hispaniâ à Pontifice in aliquo Templo permisis; quo ritu
 permisso Arabes ad Romanam Ecclesiam converti sunt, ut videre est in Cathedrali Toletanâ, et Gra-
 natensi, quæ publicæ habent sacella, in quibus Mixta ritu, ut vocant, Mozarabo, seu Mixto Arabico
 celebrantur. 3. magnâ, et exquisitâ eruditione colligit ritus Græcis, Ruthenis, alijsque Schismaticis
 à Sede Apostolica permisis, ut Ecclesias Orientales Romane unirent. Etenim eorum sacerdotibus per-
 mittit matrimonium, et ut in fermentato consecrent, et communionem sub utraque specie; et esum
 carniûm die Sabbati etiam in Quadragesimâ; et observationem Sabbati cum die Dominicâ; et hoc
 non ex observatione Judaicâ, sed ut confunderentur Hæretici Simoniaci in Oriente nati, qui negabant
 Deum creasse mundum, quia die Sabbati requievit, ut advertit P. Turnanus Lib. 7. in Canon. Aposto-
 lorum: Quin circumcisio, quæ est præcipuum Judæorum sacramentum, ibi Christianis permittitur;
 non ut religiosus cultus, sed ut caracter, et nota, seu stemmata nobilitatis antiquæ ab Abrahamo,
 et Salomone derivare: eo modo quo in sepulchris gentiliticæ stemmata inciduntur in nobilitatis
 signum, ut notavit Guilielmus Reginaldus in suo Calvino Juteismo Lib. 2. Cap. 9. dicens: Abyssini
 Christiani infantes baptizant, et circumcidant, nobilitatis antiquissimæ, nullo merito, aut Judæicæ
 fidei respectu. Si ergo, inquit Author, ex Sedis Apostolicæ benignitate Dominica, et Sabbatum; Ba-
 ptismus, et Circumcisio ex fine honesto, immo et politico in aliquibus Regnis uriverunt; cur non
 Eucharisticæ sacrificium cum ceremonijs materialiter legalibus ex novæ Ecclesiæ permissione
 conjungere tunc non licebit.

Prosequitur, ponderando utilitatem maximam talis permissionis; et in hujus rei confir-
 mationem adducit recens testimonium ex Livonia anno 1694. Cum enim ibi jussu Clementis 8.
 fuisset indicta Synodus pro uniendis Sedi Apostolicæ Ruthenis, fuere in Synodo proposita Rutheno-
 rum Episcoporum Potestati, tum ad fidem, tum ad proprios ritus, quorum tenacissimi sunt, spectanda:
 quibus Murinus, antequam ea Romam mitterentur, respondit, quod sicut Ecclesia Romanæ in his, quæ
 ad fidem

ad fidei integritatem spectant, est prorsus inexorabilis; sic in ijs, quae à iure humano Ecclesiastico pendent, saepe benignissime dispensavit: ergo, si Iudaei cegre tunc ferent à patrijs ritibus discedere, poterit tunc Ecclesia aliquos illis permittere.

Art 2: posse dici Ezechielem velle, quod sacrificia legalia tunc reditura sint, non ut significativa Christi D. futuri, sed ut demonstrativa Christi D. praesentis: eo modo, quo Ecclesia de S. Ioanne Baptista dicit, quod non prophetavit Christum D. nascentem, sed demonstravit, et propheta vit praesentem: ergo ea sacrificia, quae tunc permitti poterunt non erunt praefigurativa sacrificij Eucharistici futuri, sed prophetica, et indicativa sacrificij Eucharistici praesentis, quod olim praefigurabant. Ingeniosam hunc in finem trahit paritatem ex theatro, quod Roma anno 1650. vidit: fuit enim se in nostrâ Domo Professâ viduo Bacchanalium vidisse insigne theatrum, quod in inferiori parte salomonis Templum ritâ partio cum suis sacerdotibus sacrificantem representabat: In superiori vero erat Panis Eucharisticus, cui soli à fidelibus adoratio dirigebatur. Ecce, ait Auctor, nil illustrius pro Ezechielis Templo concipiendo, ejusque sacrificijs legalibus. Ut enim in Romano theatro aderat figura, et figuratum, multa sacrificia Eucharistica figurantia, et Eucharistia ab illis figurata; ita in Templo Ezechielis simul erunt Eucharistia figurata per sacrificia legalia, et utique sacrificia legalia Eucharistiam, quam figurant, demonstrantia. Alium quoque ingeniosissimum ex lactâ Paginae textum adducit.

Art 3. quod sacrificia legalia ab Ezechiele indicata saltem ob moralem significationem, rejectâ omni significatione figurati etiam demonstrativa, admitti poterunt. Est enim certum ex S. Augustino, quod sacrificia legalia praeter significationem figuralem habuerint moralem; nam per immolationem victimarum Hebraei docebantur suum corpus, et animam Deo immolare, ut docet Apostolus, et acutè Origenes dicens: Intra nos habemus plures victimas, quas immolamus: si superbiam corporis tui vincas, immolas Deo vitulum; si iracundiam, arietem; si libidinem, hircum; si vagos, et lubricos cogitationum volatus, columbam, et turturem.

Quod verò principalis sacrificiorum finis non fuerit sacrificium materiale, speciosissime probat ex Psalmo 50. Quoniam, si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis: sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum, et humiliatum Deus non despiciet. Quae verba interpretans S. Augustinus in Psal. 50. ait: Intraeamus, quemadmodum ubi dixit Deum nolle sacrificium, ibi Deum ostendit velle sacrificium: Non vult ergo sacrificium trucidati corporis, sed vult sacrificium contriti cordis. Ecce, inquit Auctor, duplex in Deo volitio, quae opposita: non vult carnem animalis, quod sacrificatur; vult cor hominis, quod per animalis sacrificium moraliter significatur. Idem in Psalmo 49. exprimitur: Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? immola Deo sacrificium laudis. Idem per Isaïam legitur: Ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi: Lavamini, mundi estote: quiescite agere per veritatem: discite benefacere. Ecce Deus non vult sacrificium purè materiale; vult morale per materiale significatum: ergo valde probabiliter asseri potest, quod in Templo Ezechielis erunt sacrificia materialia, ut significativa sacrificij morali à Deo voliti.

Dilatât elegantè hoc, advertendo Deum per exteriora symbola docere homines. Ita praecepit Osee, ut nuberet mulieri infami, et ex eâ filios crearet; ut ex hoc symbolo Hebraei inteligerent injuriam Deo illatam, deserendo illum, ut colerent Idola. Ita Isaïa praecepit, ut nudus per plateas incederet, ut per nuditatem illius intelligeretur spiritualis nuditas Aegypti, et Aethiopia: quod alijs exemplis dilatât, adductis Evangelicis Parabolis, quibus Christus D. usus est, ut plebem erudiret: ergo valde probabile est, quod antiqua sacrificia, et caeremoniae, quae fuerunt veluti parabole significantes moraliter Dei voluntatem per ea sacrificia intentam, quorum plura Iudaei non intellexerunt; iterum reditura sint, non ut Iudaei convertendi eorum significationem moralem assequerentur; tum ut facilius convertantur: Etenim vulgare est, ait insignis Auctor, Aristem, aut Navarchion;

aut quemlibet alium, moraliter instruere per instrumenta militi, et Monarcho propria: ergo
ut in postrema mundi conversione Hebraei in fide Christiana instruantur, nil magis ad rem, quam
uus sacrificiorum legalium vaductus ad legem, et sacrificium Evangelicum, quod moraliter indi-
cantur.

Confirmat S. Gregorius praeclearo dicto, et facto, ut legitur Lib. 9. Registri Epist. 24. qui re-
galus ab Augustino primo Anglorum Episcopo, qualiter se habere deberet cum Anglis, ut est a
prophanis ritibus ad Deum vocaret, ait S. Gregorius scribens Mellito: Quod templa non destruan-
animalia immolent, sed ad loca consueta facilius concurrant, Deum ibi adorando: Nec Diabolo jam
rae sua gratias referant, ut dum eis aliqua exteriora gaudia reservantur, ad interiora gaudia con-
sentire facilius valeant: Sic Israelitico populo in Aegypto Dominus se quidem innouit, sed tamen
eis sacrificiorum usus, quos Diabolo solebat exhibere, in cultu proprio reservavit, ut eis in sacrificio
suo animalia immolare praeciperet: quatenus commutantes, aliud de sacrificio amitterent, aliud re-
linerent; ut etsi ipsa essent animalia, quae offerre consueverant, verumtamen Deo haec, et non Idolis
immolarent, jam sacrificia ipsa non essent. Haec S. Gregorius, qui sumpto ab ipso Deo exemplo
modum invenit, quo gens ritibus suis tenaciter addicta, partim eos retinerent, partim amitterent,
et mutato sacrificiorum cultu non fraudarentur letitia, quam ex illis percipiebant: ita quoque, in-
quit Author, mutato veterum sacrificiorum cultu, et sine, Judaica convertenda gens ex suarum lega-
lium caeremoniarum usu, non defrauderetur letitia ex suarum caeremoniarum usu sibi ingenta.

Tractatus: An liceat futurarum rerum tempora scrutari,
et de hoc aliquid statuere?

Videtur, quod hic Quinternio, qui unus tantum est, nec alium habet, ad Librum Tertium
pertineat: quia Capitis Primi Titulum praeposit: ergo, cum Liber Primus, et Secundus suum Primum
Caput habeat, hoc Primum Caput ad Librum Tertium pertinere debet. Praeterea, quia in hoc Capite
Primo Author dicit, Videte mihi videor in limine huius Libri: ergo, cum Liber Primus, et Secundus
suis principijs gaudeant, sequitur, quod ab hoc Capite Liber Tertius incipiat.

Tota difficultas est, an Tractatus de totius mundi conversione, de Pace Messica, de Templo
Ezechielis, pertineant ad Librum Tertium; quia ad huius Quinternionis finem Author dicit: quae
omnia suis locis demonstranda, non dicit demonstrata: ergo, si post hunc Quinternionem demons-
tranda, post hunc illi Tractatus ponendi sunt. Hoc notare volui, ut inde colligatur, quod, quan-
tumcunque quis ingeniose laborat, arduum est valde, ordinare dictos solutos Tractatus, num ad
secundum, num ad Tertium Librum pertineant.

Synopsis.

Examinat Author in Capite Primo, praeter quod nullum est aliud, num futurarum rerum
tempora investigare, et aliquid de hoc statuere liceat: et pro negativa parte proponit valido conclu-
siones. 1. quia Christus D. ait: Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quae Pater posuit
in sua potestate; quem textum auctoritate S. Patrum illustrat. 2. quia si Chronologia temporum
praeteritorum est inter Authores tam incerta, ut vix unus alteri consentiat: Aliqui enim volunt a
mundi creatione ad Incarnationem Verbi annos quinque mille, alij sex mille, alij septem mille prae-
fisse; Longe incertior est temporis futuri Chronologia. 3. si adeo discordant Authores circa tempus Di-
luy, et finem Monarchiam, et Templi durationem; quae concordia sperari potest in futuri temporis
decisione. 4. quia etsi in sacra Pagina Historij mensur, et anni suo proprio nomine referantur,
non ita

non ita in Prophetijs, in quibus non nisi figuræ, et ænigmata, ut legitur in Genesi, in quâ septem boves pingues, et septem spicæ factæ; insuper septem boves macilentæ, et septem spicæ exsuccæ recensentur: quorum primæ, septem fertilitatis, aliæ, septem sterilitatis annos significant. Equis verò, nisi Deus revelasset, per septem boves, et per septem spicæ, septem annos intellexisset? Ergo non nisi temerè ex Prophetijs deduci potest tempus futurum. Et quia nil magis in S. Scripturâ obvium, quàm tempus per horas, dies, hebdomadas, annos, et sæcula numerare: cum toto tamen hoc nil magis obscurum, cum sæpe hora non significet horam, nec dies diem, nec anni annos, ut Author relatis Scripturæ Textibus demonstrat: ergo summa temeritas est, ex sacris Textibus investigare tempus, et definire plus minus, quando Christi D. Regnum consumabitur perfectissime in terris.

Ut Author hoc indubitanter resolvat, mentem suam pædetentim exponit, et ait 1. Quod, quando Deus aliquid futurum revelat, simulque tempus, quo illud futurum est, tunc certò pronosticari possit non res futura, tum ejus tempus: ut certum est ex S. Scripturâ, in quâ plura futura, et tempus, quo futura sunt, revelantur, ut videre est in ipsâ Resurrectione Christi D. revelatâ, et tertîa die factâ.

Ait 2. quod si Deus aliquid revelet, simulque tempus, non per dies, et annos, sed per circumstantias, et signa, tunc quoque ex signis, et circumstantijs certò pronosticari possit tempus futuræ rei revelatæ; ut contingit in Messia adventu, qui non nisi postquam Suda Sceptrum ad aliam Nationem devolutum est, nempe ad Herodem, qui Hebræus non erat, venire debebat.

Ait 3. quod, si Deus revelet aliquam rem futuram, nullo tamen designato tempore, laudabile sit investigare ejus tempus, quo futura est. Probat ex laude, quam Divus Petrus dat Prophetis, qui de futura in vobis gratiâ prophetaverunt, scrutantes in quod, vel quale tempus significaret. Deinde sicut inter homines laudabile est eorum ænigmata solvere; ita quoque ænigmata Dei.

Ait 4. laudabile quoque esse investigare tempus rei futuræ etiam, quando Deus declarat hoc sciri non posse. Et si enim hoc determinate quoad diem, et annum sciri non possit; potest tamen plus, vel minus moraliter pronosticari: Trahit hunc in finem Author Christi D. dictum: De die autem illo, vel hora, nemo scit, neque Angeli in Cælo: Ecce, inquit Author, Christus D. unice negat, quod determinatus Judicij finalis dies, et hora sciri possit: non tamen negat, quod quis, non determinato die, nec hora, sed determinato moraliter, seu plus, aut minus, majori, aut minori aliquo temporis spatio, hoc non possit probabiliter determinare. Probat 1. hoc suum assertum ex responsione Christi D. datâ Apostolis interrogantibus de die Judicij: Dic nobis, quando hæc erunt, et quod signum adventus tui, et consummationis sæculi? Quo casu Christus D. tacuit tempus determinatum; dedit tamen simul signa, ex quibus indicabatur, quod tempus non distabat: ergo licet determinatum tempus, quo Christi D. in terris regnum consumendum sit, seu mundus finietur, scire nemo possit; potest, tamen ex signis plus, vel minus colligi tempus, quo futurum est: Eo modo, quo Medicus, et si nequeat certum mortis diem sæpe pronosticare; potest tamen certò probabiliter plus, vel minus mortem pronosticare.

Probat 2. copiosis S. Patrum textibus, quorum aliqui ex parte, aliqui ex bellis, alij ex seditionibus, alij ex alijs signis conjecturaverunt diem Judicij, et mundi finem proximum esse: Qui, quamvis in pronosticando errant, tamen laudabilem esse conjecturam suo exemplo ostendunt: ergo, si illis hoc licuit, etsi longius à mundi fine distarent, multò magis sibi, inquit Author, cum à mundi fine non tantum distet.

Argumenta opposita solvit dicens, quod id, quod pro aliquo tempore inutile est, potest pro alio utile esse. Ob hoc Christus D. dixit Apostolis, Non est vestrum nosse tempora, quia tunc erat illis inutile; quin perniciosum erat illis scire, quod Deus circa Israeliticum Regnum decreverat. Si enim dixisset, quod nunquam erat restituendum; aut quod non nisi post ultimam Hebræorum ad Christi D. fidem conversionem, contristati valde fuissent: Et ideo sicut Christus D. duobus Filijs Zebedæi, petentibus regnare cum illa, respondit, Non est meum dare vobis: ita discipulis, Non est vestrum nosse tempora.

Valde mirabiliter respondet paritatem ex temporum præteritorum chronologia deducta. Sicut enim, ides Authores esse in eâ discordes, quia non concordant in computatione annorum à mundi exordio ad diluuium; à diluuiis ad Moysen; à Moysen ad Templi ædificationem: ergo mirum non est, inquit, quod temporis præteriti chronologia sit adeo incerta. Contra futuri temporis Chronologia non est incerta, quia, inquit, se non incipere à mundi creatione, ut sciat finem mundi; sed se retrorsum procedere; nempe à fine mundi ad Anti-christi adventum; ab Anti-Christi adventu ad prædicationem Evangelicam in toto mundo; à prædicatione Evangelicâ in toto mundo ad omnium Gentium, et Hebræorum conversionem ad Christi D. fidem; et ideo aliquid se posse valde probabili-
liter, quando mundi finis erit, pronosticare.

En mirabilem Authoris cogitationem per sua formalia verba: Nos e contra novum ali-
quod iter retrorsum versus invenientes (ut jam cogitationem meam incipiam aperire) à fine mundi
ad Anti-Christum; ab Anti-Christo ad Evangelium ubique prædicandum, et receptum ubique Genti-
um; et à Gentibus universaliter conversis ad nostram ætatem regressi: hæc veluti triplici metâ in
medio futurorum constituta, sine offendiculo, ipso Dextere Christo, et ibimus, et pervenimus. Quæ
omnia suis locis demonstranda sunt: Nunc sufficit digito indicare, ne vis illius argumentationis
suspensum Lectorem detineat.

Notetur tamen demonstranda sunt; non aut demonstrata: ergo Tractatus de Pace Messie, de totius mundi conversione, de Ezechielis Templo, vel non pertinet ad Librum secundum, nam diceret, demonstrata sunt; vel dicendum, quod sicut Author, ut tempus finis mundi determinet, incipit ab ipso fine mundi, et regreditur ad initium mundi; ita quoque, ut tempus finis mundi conjecturaret, regreditur ad dictos Tractatus in Libro secundo præmissos.

Concludit Caput Primum dicendo: Sed jam ad scrutinium ipsorum temporum acceda-
mus, duce Verbo Domini: Illudque Caput Primum nullo alio adjecto absolvit.

Totum hoc ad P. Cardis Arch. Casualis post repetitæ
hinc clavis Lectorem

